

**P**ater et filius simul vna essentia et vna magnitudo. et vna veritas et vna sapientia. Sed non pater et filius simul ambo vnum verbū quia non simul ambo vnus filius. Sicut enim filius ad patrem refertur. non ad se ipsum dicitur. ita et verbum ad eum cuius verbum est refertur. cum dicitur verbum. Et quippe filius quo verbū. et eo verbum quo filius. Quomiam igitur pater et filius simul non vtiq; vnus filius. consequens est ut pater et filius simul. non ambo vnum verbum. Et propterea non eo verbum quo sapientia. quia verbum non ad se dicitur. sed tantum relative ad eum cuius verbum est. sicut filius ad patrem. Sapientia vero eo quo essentia. Et ideo quia vna essentia. vna sapiētia. Quomiam vero et verbum sapientia ē. sed eo verbum quo sapientia. Verbum enim relative. sapientia essentialiter intelligitur. id dicitur accipimus cum dicitur verbum. ac si dicatur nata sapiētia. ut sit et filius et imago. Et hec duo cum dicuntur id est nata sapiētia in vno eorum eo quod nata est et verbum. et imago et filius intelligatur. et in his omnibus nominibus ostendatur essentia. quia relative dicuntur. Et in altero quod est sapiētia. quomiam et ad se dicitur. seipsum enim sapiens est. etiam essentia demonstratur. et hoc eius esse quod sapere. Unde pater et filius simul vna sapientia. quia vna essentia. et sigillatim sapiētia de sapientia. sicut essentia de essentia. Quapropter non quia pater non est filius. et filius non est pater. aut ille ingemiscit ille autem gemitus. ideo non vna essentia quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapientia. et vna essentia. vbi hoc est esse quod sapere. non autem simul vterque verbum. aut filius. quia non hoc est esse quod verbum. aut filium esse. sicut iam satis ostendimus ista relative dicit. *Ca. 13<sup>m</sup>*

**Q**ur ergo in scripturis nunquam fere de sapientia quicquam dicitur. nisi ut ostendat a deo genita vel creata. genita scilicet per quam facta sunt omnia. creata vero vel facta. sicut in hominibus cum ad eam que non creata et facta sed genita est conuertuntur et illustrantur. in ipsis enim fit aliquid quod vocetur eorum sapientia. vel illud scripturis pronuntiantibus aut narzantibus quod verbum caro factum est et habitauit in nobis. hoc modo enim Christus facta sapientia est. quia factus est homo. Non propterea non loquitur in illis libris sapientia vel de illa dicitur aliquid. nisi quod eam de deo natam ostendat. aut factam. quod quis sit et pater ipse sapientia. quia illa vobis sapientia commendanda erat et imitanda. cuius imitatione formamur. pater enim eam dicit ut verbum eius sit. non quomodo profertur ex ore verbum sonans. aut ante pronuntiationem cogitatur. Spatijs enim temporum hoc completur. illud autem eternum est. et illuminando dicit nobis et de se et de patre. quod dicendum est hominibus. Ideoque ait. Nemo nouit filium nisi pater. et nemo nouit patrem nisi filius. et cui uoluerit filius reuelare. quia per filium reuelat pater. id est per verbum suum. Si ei hoc verbum quod nos proferimus temporale et transitorium. et seipsum ostendit. et illud de quo loquimur. quanto magis verbum dei. per quod facta sunt omnia. quod ita ostendit patrem sicuti est pater. quia et ipsum ita est. et hoc est quod pater. secundum quod sapientia est. et essentia. nam secundum quod verbum. non hoc est quod pater. quia verbum non est pater. et verbum relative dicitur sicut filius. quod vtiq; non pater. Et ideo Christus virtus et sapiētia dei. quia de patre virtute et sapiētia. etiam ipse virtus et sapiētia est. sicut lumen dei de patre lumine. et fons vite apud deum patrem. vtiq; fontem vite. Quomiam apud te inquit fons vite. et in lumine tuo videbimus?